NICOLAO NICOLINI

EXCELLENTISSIMO VIRO AC PATRONO

QUEM SAPIENTIA ET CONSILIUM

VIRTUTI IUNCTA FOEDERE

IN REGII CONCILII ADSESSORES

ADSCIVERUNT

TYPOGRAPHI

DIE NOMINIS FESTO BENE PRECANTUR.

ODE

QUEM Musa finges carmine nobilem ?
Bello potentes num celebras Duces ,
Lauroque dignos ; quaeque pavens
Arma videt periturus hostis ?

Num qui triremi vectus in aequora ,
Non monstra ponti non timuit minas ,
Non impetus ventorum , ut oras
Et populos legeret repostos ?

Dicesne quorum corpora patriae
Circum manarunt moenia sanguine ,
Queis dulce decorum subire
Pro patria laribusque fata ?

An qui beatus Palladis artibus
Per grata se addens otia , carmina
Plectro canens divina , nunquam
Fata sibi metuenda duxit ?

Non illa nostrae conveniunt lyrae ;
Sed quae libenter Carmina perlegat ,
Laudetque Minos , atque vultu
Rideat insolitus sereno.

Cultoris aequae nam Themidos dies
En clara terris nominis emicat ,
Aurora quam fulgens Eoïi
Vecta suis retulit quadrigis.

Nec me colentem littora pauperis
Humore raucum fluminis alitem
Te , Musa , Sebeti pudebit
In numerum retulisse cycnûm.

Hinc eja dignam sume superbiam ;
Laudem merebis : nam voluisse sat
Est rebus in magnis ; et alta
Voce canas fidibusque mecum ;

O lux lapillo ter mihi candido
Signanda ! nostras huc repetas plagas ;
Et centies accita votis
Ominibus rutiles secundis.

Seu mane surgis , vespere seu cadis ,
Semper beatum concilii patrum ,
Regisque mentem , patriaeque
Parthenopes columen revisas.

Orcum vitabis ; cum maueas quoad
Orbis ruina coucidat ultima ;
Praeclara nam virtutis uuquam
Imminuet monumenta tempus.